

deliberare et executioni demandare unanimi consensu possit, ut a S^{te} Sua summopere desiderabatur.¹

**Acta consist. vicecanc. nell'Archivio concistoriale del Vaticano.*

**93. Papa Adriano VI a Federigo Gonzaga, marchese di Mantova
e capitano generale della Chiesa.²**

Roma, 26 agosto 1523.

Adrianus Papa VI. Dilecte etc. Quia per litteras et nuncios fide dignorum admoniti sumus exercitum Gallorum in Italiam ad ducatum Mediolani occupandum infestis signis ac animis adventare, nos considerantes inde non solum dicto ducatui, sed etiam toti Italiae immo quod gravius est universae christianitati, nisi opportune pro videatur, maximae perturbationis et plurorum malorum discrimen imminere, ac volentes iuxta federis ac ligae quam nuper una cum certis regibus ac principibus tibi notis pro defensione praefatorum Italiae et christianitatis conclusimus formam atque tenorem ad opus eiusdem defensionis quas possumus et prout ex dicti federis capitulis nobis incumbit ferre suppetias, nobilitatem tuam tenore praesentium in Domino hortamur et expresse serioque requirimus, ut statim acceptis praesentibus omnibus et singulis equitibus tam gravis quam levis armatura, quos ad stipendia nostra ratione contractus novissime inter nos et te initi tenes ac tenere debes, districte praeccipias ac mandes, ut una cum locumtenente tuo per te constituendo se ad castra Caesareae Maiestatis in dicto ducatu existentia et ad dilectum filium nobilem virum Prosperum Columnam illis praesidentem illico conferre debeant, facturi ea quae illis ab ipso Prospero iniungentur, donec certius cognoverimus, utrum praefatus Gallorum exercitus iter suum adversus dictum ducatum omnino prosequatur. Quo casu, quem tamen Deus evenire prohibeat, intendimus nobilitatem tuam requirere, ut ipsa personaliter ad dicta castra post dictos equites suos profiscatur, quo auctoritate consilioque suis ipsorum Gallorum impetus facilius retundi valeat. Interea vero eandem hortamur in Domino et paterne requirimus, quatenus statim his visis providere et ordinare velit, ut commeatus et victualia iusto interveniente precio et solutis solvendis ex marchionatu et ceteris suis dominiis libere extrahi et ad memorata castra ferri et exportari possint, in quo nobilitas tua rem humanitate sua dignam et nobis ac huic sanctae sedi in primis acceptam faciet.

Datum Romae apud sanctum Petrum sub annulo piscatori die XXVI augusti MDXXIII^o, pontificatus nostri anno primo.

T. Hezius.

Orig. nell'Archivio Gonzaga in Mantova.

¹ Affatto diverso suona il discorso d'Adriano VI appo DE LEVA II, 173, che però non indica alcuna fonte delle sue notizie.

² Cfr. sopra p. 136.